quidam, qui cum puer adhuc neruorum imbecillitate tentaretur, ad quinquer-
tium animum appulit.[a]

Hoc autem loco
notatu etiam dignum est, quod tradit Lucianus Athletarum et Pancratiastarum
sortitionem describens. In argenteam (inquit) calpin, id est, urnam conjicie-
bantur minutulae sortes, faba non ampliores. Eo semper ordine seruato, ut
binis eadem inscriberetur elementi nota. pro athletarum numero sortibus item
auctioribus. Quum impenderet certandi tempus, prodibant ex athletis sin-
guli sortem educturi, nec inspectandi productam ius erat, quando id prohibe-
bat assistens mastigophorus, hoc est, seruus flagellifer, qui scilicet Agono-
thetas comitabatur, uirgas praeferens ad submouendam turbam et cohibendas
seditiones ut vult Budaeus. Peracto autem orbe, ambiens Alytarchus
inspectabat sortes, atq; ita dispensabat, ut qui Alpha esset sortitus, cum eo
componeretur qui eandem eduxisset literam: atq; ita deinceps homogrammi
certaturi prodibant. Fieri uero sic mos erat, si certaturi pares fuissent.
Quod si quinq; aut septem, conjiciebatur in urnam solitaria litera, quae antigraphon

sine